

ANNO DOMINI MCXXIV

ERNULFUS

ROFFENSIS EPISCOPUS

NOTITIA HISTORICA LITTERARIA.

(WARTHON, *Anglia sacra*. t. II, Praef., p. xxx.)

Ernulfus, Roffensis episcopus, qui sedem ab anno 1114 ad 1126 tenuit, libraria compilavit de Ecclesiæ Roffensis fundatione, dotazione, chartis, placitis aliisque rebus ad eam spectantibus. Codicem in Archivo Ecclesiæ Roffensis asservatum decanus et capitulum Roffense benignitate summa mihi transmiserunt. Plurimis nostræ gentis antiquariis *Textus Roffensis* titulo innotuit. In fronte libri hanc inscriptionem manus antiquissima apposuit *Textus de ecclesia Roffensi per Ernulfum episcopum*. Continet autem plura monumenta tam Latine quam Saxonice scripta, videlicet: Leges Ethelberti, Alfredi, Guthrunni, Edwardi, Edmundi et Ethelredi regum, Saxonice; Exorcismum Ordalii, Leges Canuti regis, Constitutiones Wilhelmi I regis, Excerpta ex decretis pontificum, Institutiones Henrici I regis, anno 1101 lata, successionem pontificum et imperatorum Romanorum, pontificum Jerosolymitanorum et qualiuor sedium patriarchalium; Nomina archiepiscoporum et episcoporum Angliae a S. Augustino per singulas sedes distributa, Latine; Judicia civitatis Lundoniacæ, Genealogiam Edwardi regis ab Adamo, Genealogias omnium Angliae heptarcharum ab Adamo, Saxonice; privilegia, chartas, ordinationes, etc. Ecclesiæ Roffensis Latine et Saxonice. Nulla habentur in codice, Ernulfi aetate inferiora; si demas 43 nomina in Catalogo archiepiscoporum Cant., et 15 nomina in Catalogo episcoporum Roff., quæ ab aliena manu diversis seculis accesserunt, ut ex litteris et atramento constat. Quædam enim manus episcoporum sex Ernulfum sequentium nominâ adjecit; cui alia manus recentior episcoporum novem succedentium nomina apposuit. His addenda sunt pauca quædam de rebus tempore Joannis et Ascelini episcoporum gestis, post folium 263 congesta. Cæteræ omnia manu Ernulfo coæva scripta sunt. Leviora fonsitan hæc videri possent, ni quis ea quæ ad Historiam Roffensem ex hoc codice adnotahatur inspexerit. Ista enim nos præfari debuisse tunc facile liquebit. Cæterum aliis ingenii monumentis Ernulfus inclinavit. In his exstat epistola ad Walkelinum Wintoniensem episcopum *De incertis conjugiis præclara*; quam R. P. Lucas Dacherius in Spicilegio suo evulgavit tom. III, p. 410 (ed. ih. fol. t. III, pag. 464). Habetur eadem Ernulfo inseripta in codice vetustissimo bibliothecæ Lambethanæ, vix unico apice a Dacheriana diversa. Turpissime vero hallucinatus est Baleus (cent. II, c. 70), qui opera quædam Arnulphi Lexoviensis episcopi et Arnoldi Bonavallis abbatis Arnulpho Roffensi episcopo inscripsit, cumdemque permisit cum Arnulpho presbytero, quem Romanorum clericorum insidiis Honorii II papa tempore Platina refert (*Vita Honor. II*) suisso sublatum, dum in Romanæ curiæ vitia aerius inveneretur. Reipsa enim Arnulphus ille concionator toto cœlo diversus erat a Roffensi nostro, qui ante incepsum Honorii pontificatum obiit. Veritas autem Baleo parum curæ erat, dummodo Romanæ Ecclesiæ inimicorum numerum augere posset. Cæterum nos insigniora Ecclesiæ Roffensis monumenta ex Ernulfi farragine delectu habito exscripsimus, et nunc primum evulgavimus.